

ibidem contra voluntatem monachorum prælatum A  
eis post tuum decessum ordinare præsumat : sed  
habeant liberam facultatem, sine cujuslibet prin-  
cipis consultu, quemcunque secundum regulam  
sancti Benedicti voluerint sibi ordinare; nisi forte  
(quod absit) personam suis vitiis consentientem  
eligere maluerint : hoc quicumque voluerit cum  
zelo Dei prohibeat. Cœnobium quod Romanum  
dicitur, et quod mater filii nostri Rodulphi regis  
condonavit ad prædictum Cluniacum, ita ei cum  
Vaningo villa subjectum sit, sicut illa per testa-  
mentum donationis decrevit. Si autem cœnobium  
aliquod ex voluntate illorum, ad quorum dispo-  
sitionem pertinere videtur, in sua ditione ad me-  
liorandum suscipere consenseritis, nostram licen-  
tiam ex hoc habeatis. Decimas vero, quæ olim B  
ad vestras capellas pertinuerunt, et per moder-  
nam quasi auctoritatem sive licentiam a quolibet  
episcopo subtractæ sunt, vobis ex integro resti-  
tuimus. Capellas autem, si aliquæ jam factæ sunt  
vel faciendæ inibi sunt, ita manere concedimus  
ut vestris ecclesiis nihil ex decimis minuat. Hoc  
vero quod dilectus filius noster Berno epi-  
scopus de prædictis capellis vobis concessit, ratum  
esse decernimus in perpetuum. Præterea quidquid  
ex vineis vel culturis ad vestram pertinet reli-  
gionem, partem quoque decimarum ad hospitale  
vestrum pertinere sancimus : similiter et de his  
rebus quas percepturi estis. Hoc etiam quod Leo-  
baldus ad prædictum monasterium moriens red-  
didit et dereliquit. Similiter et illud quod in Agio- C  
na, vel alicubi rebus quæ ad id monasterium per-  
tinere debent, et capellam sancti Martini, quæ  
est in villa Maceio, nostra apostolica auctoritate  
vobis confirmamus et restituimus. Monetam quo-  
que propriam, sicut filius noster Rodolphus rex  
Francorum concessit, ita habeatis. Et quia, sicut  
nimis compertum est, jam pene cuncta monaste-  
ria a suo proposito prævaricantur, concedimus ut  
si quis monachus ex quolibet monasterio ad ve-  
stram conversationem solo duntaxat meliorandæ  
vitæ studio transmigrare voluerit, cui videlicet  
suus abbas regularem sumptum ad depellendam proprie-  
tatem habendi ministrare neglexerit, suscipere  
vobis liceat; quousque monasterii sui conversatio  
emendetur. Immunitatem vero ita vobis concedi- D  
mus, sicut locis sanctis ubique reverentia debe-  
tur, ut nullus vestra mancipia aut res quaslibet  
sine vestro consultu distringere aut invadere ullo  
modo præsumat. Sane ad recognoscendum quod  
prædictum cœnobium sanctæ apostolicæ sedi ad-  
tuendum atque fovendum pertineat, dentur per  
quinquennium decem solidi. Si quis autem contra  
hanc saluberrimam nostram constitutionem resi-  
stendo venire tentaverit, aut aliquid horum cor-  
rumpere conatus fuerit; et omnia quæ in hoc  
privilegio sancimus non observaverit, sciat se sub  
divini iudicii obtestatione anathematis vinculo æter-

naliter, nisi resipuerit, innodatum, et a regno  
Dei alienandum, et cum diabolo sine fine cru-  
ciandum. Qui vero hujus nostræ saluberrimæ san-  
ctionis custos et observator exstiterit, a Christo  
Domino benedictionem, et a sanctis apostolis mundi  
iudicibus absolutionem hic et in futuro consequi  
mereatur.

Scriptum per manum Andreæ scriniarii in mense  
Martio, indictione quarta.

## II.

JOANNIS XI PRIVILEGIUM PRO EODEM MONASTERIO.

(Anno 952).

*Ad petitionem S. Odonis et interventionem Hugonis  
Italiæ regis confirmat monasterium Cluniacense  
cum omnibus rebus et possessionibus, quas habet  
et in posterum acquirat. Et inter cætera mona-  
sterium, quod dicitur Carus Locus in territorio  
Matisconensi, vult perpetuo manere subjectum  
Cluniacensi cœnobio.*

[Apud Cocquelines, Bullarum, privileg. Rom. pont.  
ampl. collect.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, Odoni  
religioso abbati venerabilis monasterii summorum  
apostolorum Petri et Pauli quod dicitur Cluniacum,  
et per te tuis successoribus qui in eodem venerabili  
monasterio deservient in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione  
pollentibus benevola compassione succurrere et pos-  
centium animis alacri devotione impertire assensum :  
tunc enim lucri potissimum præmium apud Condi-  
torem omnium reponitur Deum, quando venerabilia  
loca opportune ordinata ad meliorem fuerint sine  
dubio statum perducta. Igitur quia supplicavit tua  
religio et interventio Hugonis gloriosissimi regis  
dilecti filii nostri apostolatui nostro, quatenus  
confirmaremus nostra apostolica auctoritate præ-  
dictum monasterium sancti Petri cum omnibus  
rebus et possessionibus suis, quas nunc habere  
videtur, et quod deinceps in idem monasterium  
offeretur oblatumque fuerit. Imo et confirmamus  
eidem sancto loco aliud monasterium juris Ecclesiæ  
Romanæ, quod dicitur Carus Locus in territorio  
Matisconensi, ut ibi permâneat in perpetuum, eo  
videlicet ordine, ut nullus ecclesiastici ordinis, aut  
laici in ipso monasterio, aut in rebus ibidem perti-  
nentibus aliquam molestiam inferat. Si vero aliqua  
persona tam in clericali ordine, quam in laicali  
constituta aliquam vim in ipsis rebus intulerit, quæ  
ibi deinceps datæ sive oblatae fuerint, aut ab ejus  
ditione subtrahere voluerit, ipsæ res revertantur ad  
suos donatores suosque hæredes. Attamen si cum  
ipsis rebus in ordine cœnobii perstiterint sive tem-  
pore istius abbatis, sive suorum successorum, hoc  
privilegium inconvulsum permaneat, salva videlicet  
pensione sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Statuentes beati  
Petri principis apostolorum auctoritate, cujus nos  
impares meritis, divina gratia suffragante, vices  
gerimus, sub anathematis interdictione et divini  
iudicii obtestatione, hæc quæ a nobis decreta sunt

non debere quempiam convellere in quoquam, sed potius firma stabilitate inconvulsa perpetuis permanere temporibus definimus. Si quis autem temerario ausu contra hujus nostri apostolici privilegii seriem pie a nobis promulgatam venire vel agere tentaverit, sciat se domini nostri apostolorum principis Petri anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi in æternum ignem concremandum. Simulque et in voraginem tartareumque chaos demersus cum impiis deficiat. Qui vero pio intuitu custodes et obediētes atque observatores hujus nostræ salutiferæ præceptionis exstiterint, benedictionis gratiam et cœlestis retributionis æterna gaudia a justo iudice Domino nostro consequi mereantur.

Scriptum per manum Theodori scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Junio, indictione quinta. Bene valete. Data vii Kalendas Januarias per manum Ursi primicerii sanctæ sedis apostolicæ, anno Deo propitio pontificatus domni Joannis summi pontificis et universalis undecimi papæ in sacratissima beati Petri secundo, in mense Junio, indictione supra scripta quinta.

## III.

PRIVILEGIUM JOANNIS PAPÆ XI PRO MONASTERIO  
VIZELIACENSI.

(Anno 953).

[Apud Acher. *Spicilegii* tom. II, 504.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, AYMOMI venerabili abbati Vizeliacensis cœnobii, omnique congregationi ejusdem monasterii in perpetuum.

Quoties illa tribui a nobis optantur, quæ rationi incunctanter conveniunt, animo nos debet libenti concedere, et petentium desideriis congruum imperiri suffragium. Atque ideo quia postulasti a nobis quatenus privilegium sedis apostolicæ monasterio Vizeliaco, cui præesse dignosceris, quod constat olim a Gerardo nobilissimo et christianissimo viro, necnon et Berta uxore ejus, in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi et veneratione beatissimæ semper virginis Mariæ genitricis ejusdem Domini nostri Jesu Christi constructum; in regno scilicet Burgundiæ, in pago Avalensi, quodque a præfatis fundatoribus beato Petro apostolorum principi pia devotione et testamenti pagina collatum est, facere deberemus; inclinati precibus tuis libenter fieri decrevimus, per quod nimirum apostolicæ sedis privilegium confirmamus, atque statuimus, ut nulli regum, nulli antistitum, nulli comitum, nulli cuiquam alii liceat ipsum monasterium perturbare, vel ea quæ ibi a jam dictis fundatoribus, vel ab aliis fidelibus oblata sunt, vel in futurum offerri contigerit, sub cujuslibet causæ, occasionisve specie, minuere, vel auferre, sive suis usibus applicare, sed sine inquietudine in sustentatione ejusdem monasterii, et usibus abbatum et monachorum sub regula sancti Patris Benedicti ibi Deo militantium volumus ea et præcipimus possideri: ea videlicet

A conditione, ut nullus successorum nostrorum pontificum in hac sancta sede, cui auctore Deo servimus, unquam vel usquam quiddam ex eisdem rebus cuiquam beneficiare, commutare, aut sub censu quolibet concedere per futura tempora patiatur, sed censum tantummodo in testamento traditionis a fundatoribus qui ex eodem monasterio hanc sanctam hæredem Romanam fecerunt Ecclesiam, etiam delegatum, unam videlicet libram argenti annis singulis successores nostri accipientes, per paternitatis suffragium eidem monasterio sollicitudine pastorali vigilanter contra omnes infestantes impendere studeant. Item constituimus, ut obeunte abbate prædicti monasterii, non alius ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem consensus monachorum B secundum timorem Dei, et institutionem regulæ sancti Benedicti elegerit, et hujus apostolicæ sedis pontifex præviderit ordinandum, aut suggestionem monachorum consenserit ordinatum.

Hoc quoque capitulo præsentis subjungimus, ut locum avaritiæ secludamus, nullum de regibus, nullum de episcopis, vel sacerdotibus, vel de quibuscunque fidelibus, per se, suppositamve personam, de ordinatione ejusdem abbatis, vel clericorum, aut presbyterorum, vel de largitione chris-matis, aut consecratione basilicæ, vel de quibuscunque causis ad idem monasterium pertinentibus, audere in qualibet specie exenii loco quidquam accipere, neque eundem abbatem pro ordinatione sua aliquid dare præsumere, ne hac occasione, ea quæ C a fidelibus pio loco offeruntur consumantur. Neque episcopus civitatis ipsius parochiæ nisi ab abbate ipsius monasterii invitatus, ibidem publicas missas agat, neque stationes in eodem cœnobio indicat, ne servorum Dei quies quoquomodo populari conventu perturbari valeat, neque paratas, aut mansionaticos exinde præsumat exigere. Susceptionem autem fidelium et religiosorum virorum atque beneficentiam, quam jubet apostolus cunctis exhibendam pro possibilitate loci et facultatum, non modo ibidem fieri [non] denegamus, verum etiam suademus: sed et modus in numero congregationis ideo conservetur, ut nec pluralitas penuriam, nec paucitas inhabitantium destitutionem loci inducere valeat. Privilegium quoque a prædecessore nostro D piæ memoriæ papa Nicolao eidem monasterio collatum nostra auctoritate confirmamus, excepto duntaxat quod ipse sub nomine ancillarum Dei quæ ibidem pro crebris infestationibus sæculi nunc ordinabiliter manere nequeunt, illud delegavit: nos vero aptioris utilitatis gratia sub habitu monachorum esse congruenter decernimus. Si quis vero regum, episcoporum, sacerdotum, abbatum, judicum, comitum, aut sæcularium personarum, contra hanc nostræ institutionis paginam venire tentaverit, percussus apostolico anathemate, potestatis honorisve sui dignitate careat, reumque se coram divino iudicio cognoscat, et nisi ea quæ a se male acta sunt desleverit, a sacratissimo corpore Domini nostri Jesu-